ICTo
NOBILISSIMO
ADAMO GEORGIO FABRO,
Dn. Fautori, Amico & Affini meo honoratiſſimo,
Τὴν φιλικὴν εὐεστώ.

QVa fuit beatiſſimi Domini Soceri Tui Schmidii, Viri nominatiſſimi, ultima diſpoſitio, â me, Servorum Chriſti ultimo, ſermone tumularetur funebri, eam, ceù decet Generum, ut ſtrictè ſanctéq; obſervaſti: ſic qvum ſermo iſte in publicum eat, nullius alterius, qvàm Tuo nobilitari voluit tecto nomineq;. Etenim ſi bello parta Marti antiqvitas dicavit, ſi mari qvaſita Neptuno, ſi meſſes Cereri, ſi Mercurio lucra libavit, ſi item rerum òmnium ad cultum retulit auctorum, na qvum ad Te, Honoratiſſime Domine Adfinis, qvicqvid eſt & hæreditatis & celeberrimarum familiarum Fabro-Schmidianarum gloria unicè redierit, & hæc concio ſub tuo ampliſſimo nomine in fano memoriæ ſuſpendenda fuit. Inſcriptionem igitur hanc fronte ſuſcipias